ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissimo et Amplissimo Viro,
CONSTANTINO HUGENIO,
S. D.

Nuper te affabar, Vir Nobilissime, praeclari in„
genij tui laudibus accensus. Inde jussi tibi tradi
specimen Centuriae nostrae Epistolicae secundae. ut
audij, accepisti, et quidem ea fronte, qua solent accipi
amicorum munuscula. Nunc, ecce, litteris te adeo,
extera occasione factus animosior. Misit ad me suas,
ut et has ad te, Vir doctissimus, Amicus noster
communis, Diodorus Tuldenus. Jussit continuo sic
clausas tibi reddi. quod jam fit. ignosces, si paullo
fortè serius. abfui, dies aliquot, ab urbe. Vir cla„
rissimus, Puteanus, nuper ad me obiter de salvo
commeatu. Hic procul dubio partes tuas commodare„
cis. adeò mihi quidem persuasum habeo, nihil non te,
quod in manu saltem tua sit positum, litterarum caussâ
velle. Tradidi Puteaneas ancillae vestrae. ut,
quod jam amplius non ita commodè possem coram po„
stea, (commigrabam enim unâ cum Musis Lugdu„
num) idipsum relictis testarer litteris, adeoque tacitè
amici nostri votum Excellentiae Tuae commendarem.
Si verò grave non erit, velim litteras illas Lovanien„
ses remittas mihi. simul & hoc, ut me tuorum
inseras Catalogo, qui laudi sibi ducunt, Hugenio,
Viro tam praestanti, innotuisse. Ego quidem magni
te facere, et amare seriò, nunquam desinam.
Tu modò reciproco me adfectu bees. Quid de Epi„
stolicis nostris judices, novisse gestio. Quae autem
intervenerunt errata, candidum Lectorem non of„
fenderint. ~~Lectorem.~~ In epistola dedicatoria,
qua

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/594

p. 7. l. pen. legendum, si modo propius. p. 15. l. 11. libens exprimo.

quae me absente impressa est, bis quoque peccatum est. Quod tu emendare velis. Cum Heinsio nostro, jam nuper multum de invidendis tuis dotibus. Hoc testari ausim, neminem habere te, qui majoris te, quàm ille Litterarum Princeps, faciat. Quod ideo hic adjungo, ut planè ac plenè confidas, eo te apud me esse loco, quo solent omnia ab Heinsio commendata. Quod publicis aliquando paginis diffundere non negligam. Salve, Vir Praestantissime, ac me tui studiosissimum redama. Amstelodami. iij April. MDCXXXI.

Jos Cabeliavius.

Cras hinc me confero Leydam. Huc, si quid ad me litterarum dederis, recta mittito.

Voor 's Prince logement, naest mijn heer Rivet.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/594

Edele, erentfeste, wyse,
hooghgeleerde, voorsinnige heer,
mijn heer
Constantino Hugenio,
Ridder, Raetsheer ende Secretaris
van Sijn Princ. Excellentie
In
's Graven-hage.

port.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/594